UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Enchiridion Piarvm Meditationvm In Omnes Dominicas, Sanctorvm Festa, Christi passionem, & cætera

Busaeus, Johannes

Mogvntiæ, M. DCVI.

14. De electione 12. Apostol. Marc. 3.

urn:nbn:de:hbz:466:1-70978

Visual Library

dera CHRISTVM non cælare veritatem Nazarenos, etiã ſi ſciat illos ægrelaturos quia magno beneficio afficimur, dum nobis noſtri defectus & imperfectiones patefiunt, licet illud nõ agnoſcamus. Nazarenos autem qui Chriſto ideo mortem mi-tarunt, imitantur omnes illi, qui concionatores & doctores veritati patrocinantes perſequuntur. 2. Conſidera, Chriſtum præcipitare ſe conantibus non reſtitiſſe, ſed quiete per medium illorum tranſiiſſe, vt diſcamus iniurias nobis illatas diſſimulare, & aliorum malignitatem patientia vincere.

MEDITATIO XIV.

De electione 12. Apoſtolorum. Marc. 3. Luc. 6.

1. CVM *Ieſus in oratione pernoctaſſet in monte, vocauit ad ſe diſcipulos, & ex iis elegit duodecim, quos & Apoſtolos nominauit* Conſidera, CHRISTVM digreſſum à ſuis in ſolitarium locum precandi cauſa, totamque noctem in precibus conſumpſiſſe, non quod ipſe indigeret hac præparatio-

ſatione ad electionem Apoſtolorum; ſed vt nos doceret exemplo ſuo, cum pro rebus magnis ſerio orãdum eſt, vt digrediamur ab hominum turba, & in oratione perſeueremus. 2. conſidera, in monte electos Apoſtolos, vt intelligerent, qui alijs præeſſe, eosque docere volunt, debere rerum cœleſtium ſcientia, & vitæ ſanctitate alijs præeminere, & alieniſſimos eſſe à cupiditate rerum terrenarum, opum, honorum, & voluptatum huius mundi. 3. conſidera, vocatos eſſe Apoſtolos, id eſt, miſſos, nuncios, tabellarios, vt nomine ipſo admonerentur humilitatis & obedientiæ, ac cogitarent quicquid eſſent, quicquid poſſent, ſe non ſuis viribus, ſua ſapientia, ſuoque merito, ſed ſola gratia Dei & volũtate adiutos præſtare.

Et præcepit eis, ne in via tollerent virgam 2.
peram, panem, æs, nec duas tunicas haberent, & irent calceati ſandaliis. Conſidera, quomodo mittat Apoſtolos prædicatum, inſtar pauperum viatorum, prohibens ne ſecum ferrent quicquam ſuperuacaneum, ſed tantum neceſſaria; quo omni cura terrena ſoluti liberius inuigilarent officio prædicationis. In-

cede-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

cedebant quidem pannoſi, ſed caritate e-
gregiè veſtiti; vacui nummis, diuina au-
virtute pleni; deſtituti adminiculo bacu-
ſed firma fiducia nixi. atque ita conueni-
bat, vt qui aliis prædicaturi erant de con-
temptu mundi, ipſi iam ante eum conte-
pſiſſent. 2. Conſidera, ſi ſis religioſus, quo-
modo Chriſtus eorum quos in Apoſto-
aſſumpſit virtutem probarit: vt non mi-
ris, in religionis ingreſſu vnum vel plures
annos probationis inſtitutos, quibus ſo-
lent tyrones in humilibus quibuſque of-
ficijs exerceri, quo ſolidum fundamentum
perfectionis Chriſtianæ in humilitate ia-
ciant. Sicut enim habitus virtutum non
acquirũtur, niſi crebris actibus, teſte Phi-
loſopho, ita humilitas religioſa non ac-
ep. 87. quiritur, niſi crebro & diuturno exerci-
tio, vt ait Sanctus Bernardus, humilia-
tionis.

3. *Ecce ego mitto vos*, ait, *ſicut oues in medio luporum. Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ. Cauete autem ab hominibus.* Conſidera, etiamſi terrere po-
tuerit Apoſtolos talis miſſio, qua præda
fierent lupis, tamen contra magno ſola-
tio illis fuiſſe, quod mitterentur ab eo,
qui defenderet eos à lupis, ſed etiam vi-

tutem dediſſet conuertendi immanes lupos, in manſuetos agnos. Monet vero eos, vt ex parte ſua ſint prudentes, vt ſerpẽtes, qui ad voces incantantium aures occludunt, hoc eſt, ne ſinant ſe decipi hoſtium blanditiis; Et ad caput tuendum exponunt totum corpus, id eſt, vt ſinãt potius totum corpus diſcerpi, quam fidem & ſalutem animæ eripi: Deinde monet, vt ſimplices ſint, ſicut columbæ, hoc eſt, patientes, & malum malo non reddant, ſed potius bonum. Secundò. Conſidera, quod monet cauendum eſſe ab hominibus, hoc eſt, proſpiciendum, cum quibus agant, quia ſæpe inimici domeſtici eius, & nonnunquam homo nequam malitiam cuiuſuis ferocis beſtiæ, imò & dæmonis ſuperat; tum quia lædit eos etiã, à quo nullo modo eſt læſus, ſed beneficiis affectus, tum quia nocet etiam iuſtis & innocentibus, quos dæmon accedere non audet. *Matt.* 10.

(.·.)